

putet à seipso habere justitiam. Sic enim dicit Apostolus Paulus: credidit in eum, qui justificat impium. Quid est, qui justificat impium? qui ex impio facit pium. Deputatur fides ejus ad justitiam. Christiani autem hanc justitia non fiunt somnolenti: sed pro accepto justificationis beneficio, ad agendas Deo gratias magis prompti. Quia certò acceptæ gratiæ, quò magis recordantur: eò amplius ad gratiarum actionem compelluntur: timentes ne in gratitudinis arguantur. Ita populus Israeliticus à Pharaonis servitute liberatus, Deo egit gratias. Ezechias Rex pientissimus, pro longata ei vitâ egit gratias. David divina gratia contra Doëg coronatus palâm dicebat. *Confitebor tibi in seculum, quia fecisti.* Ubi S. Augustinus sic exclamat: *Magna confessio quoniam tu fecisti. Quid fecisti, nisi hæc ipsa, quæ supra dicta sunt: ut tanquam oliva fructifera in domo Dei, sperarem in misericordia Dei in eternum: & in seculum seculi? Tu fecisti impius justificare se non potest: Sed quis est, qui justificas? credenti, inquit, in eum, qui justificat impium. Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis: quasi ex te habeas? absit, ut ego sic glorier, aut iste, qui oppositus est Doëg, qui tolerat Doëg in terra: donec emigrat ille de tabernaculo, & eradicetur de terra viventium. Non glorior quasi non acceperim: sed in Deo glorior. Et confitebor tibi, quoniam tu fecisti: Id est, quia tu fecisti: non ex meritis meis: sed ex misericordia tua.* Unde patet, fideles habitâ certâ gratiâ, non fieri segnes & delides, sed confitentes & gratias agentes. Salomonis verò auctoritas allegata certitudinis de divina gratia beneficium non labefactat. Quia vitiosè adducitur. Nam cum adversariis contra venit: qui conjecturalem justificatis concedunt certitudinem. (Illa autem auctoritas omnem negat certitudinem) tum vel maximè fidei repugnat. Neq; impij gravissima scelera operantes dubitant, quin sint odio digni: cum certissimo legis testimonio convincantur, nedum conscientiæ esse actu obnoxios divinæ iræ, atque etiam Dei odio dignos. Quare ibi Salomon non loquitur de rebus ad fidem pertinentibus: Sed de externis eventis humanarum rerum, è quibus nemo potest dijudicare, an homines in hac vita displiceant, vel Deo placeant. Quia omnia tam prospera, quàm adversa omnibus æquè eveniunt, tum piis, tum impijs. Ita intellexit illum locum Cajetanus, dicens, *significat Salomon, ex rebus externis nos non posse discernere bonum aut malum.* Id ipsum intellexit Pineda *in Jobum* *6. 21.* *da significat, inquit, Salomon ijs verbis, omnia in futurum incerta sunt, magnam rerum humanarum confusionem cum bona malis, & mala bonis permisceatur.* Proinde ex isto loco Ecclesiastes contra gratiæ certitudinem nihil profus concluditur. Concedimus enim ex eventis externæ fortunæ pio & impio communibus, non posse colligi, divini amoris, vel odii certitudinem. Tum Ecclesiastici testimonium non adversatur gratiæ certitudini. Quia illud sollicitudinem cavendorum in posterum peccatorum injungit: atque illorum præsumptionem & carnalem securitatem reprehendit: qui propositâ sibi spe futuræ veniæ pergunt in peccatis, accumulantes peccata peccatis. Hujus explanationis testis est Cornelius Jansonius, qui sic scribit: *Gracè legitur, de propitiatione noli esse sine metu, & intelligitur de obtinenda remissione peccati perpetranda contra præsumptionem, non de propitiato perpetrato, ut habet vulgata, cui textus repugnat.* Non ergò admonet, ut dubitemus de præteritorum propitiatione: Sed ut caveamus futurorum peccatorum præsumptionem. Quod & nos statuimus, ac plena voce clamamus: peccatis contra conscientiam perpetrandis fidem excuti, Spiritum Sanctum expelli, gratiam Dei, & salutem æternam amitti. Ti-

mitti. Ti-